in primis Divinorum sacrorum Antistites venerari debent in
terris; in illo agnosciat, quem in summi Sacerdotis aulâ ipsi Sa-
cerdotum Principes uno ore reum, et reum sacrilegum concla-
marunt? et quo idem ille Pontifex nihil peius odisset? Irri-
taverat enim eorum iras, faciemque odij accenderat illa Christi
beneficentissima innocentia, qua universum populum non
minus in sui amorem, quam admirationem allexerat. Idcirco
primam causam de Doctrina, Discipulisque dicere iussus est
apud stipitem illum Caipha socerum, non minus sanguine quam
scelere coniunctum, qui vix nomen summi Sacerdotij sustinebat
quippe qui ambitu, et malis artibus Pontificatum emerat,
cum praeter vestem Sacerdotij nihil haberet. Ergo Mundum
Doctrina sua testem, atque conscium invocanti per summam
impudentiam colaphus impactus est, palmare dedemus, atque
tormentum. Os illud aureum coelestis eloquentiae vena obtun-
ditur à Barasone dicamne, an Parasito? quid dicam,
quid cogitem, quo me vertam? Deus immortalis quot in uno
scelere scelera sunt! De rerum summa exquirit arrogantia,
cognoscit inscitia, censet improbitas, inane est publica fidei patro-
cinium, dubitatur de Dei sapientia, suspecta est veritas, virtus
plectitur. Fuerat hic animus devovere audacem dexteram at-
nis ~~[illegible]~~ furijs, quibus addictam scimus ut quietem nesciat
et hoc tantum nefas tanquam multiplex, cui nulla par accusa-
tio contigit, acrius exagitare, sed furoribus per singula mo-
menta crescentibus, indicare satis est, patientia silentijque
tenacem Dominum defendere cunctum esse responsum, et expo-
stulare de acerbissimâ iniuriâ iusta querelâ. Interim illi

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 8v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/8v)